

ER
ON
heit
ney.
ar.
n.
lb.
r.



ff 5p.

70

Fa. 506.

Ex libris. Heelzdr.

4

ANTONII STÖRCK,

SAC. CÆS. REG. APOST. MAJ. CONSILIARII AULICI,
ARCHIATRI, ET IN NOSOCOMIO CIVICO
PAZMARIANO PHYSICI,

LIBELLUS,

QUO DEMONSTRATUR:

COLCHICI AUTUMNALIS
RADICEM

NON SOLUM TUTO POSSE EXHIBERI HOMINIBUS, SED
ET EJUS USU INTERNO CURARI QUANDOQUE
MORBOS DIFFICILLIMOS, QUI ALIIS RE-
MEDIIS NON CEDUNT.

JUNGITUR SIMUL PLANTÆ EFFIGIES,
ÆRE EXCUSA.



VINDOBONÆ,

TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER,

CES. REG. MAJEST. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.

MDCCLXIII

ANTONI STÖCK

SAC. CENS. REG. APOST. PAL. CONSULT. AUSTRIAC.
ACCOMPTAT. ET IN K. K. UNIVERSIT. W. U. VIENNAE
PUBBLIC. LIBRARIUS HONORARIUS

LIBELLUS

QUO DIMONSTRATUR

COLCHICI AUTUMNALIS

RADICEM


NON SOLUM TOTO POTUI EXHIBERE NOMINE
ET RITE USU INTERNO CUIUS QUAEQUE
MORBUS DIFFICILITATE, QUI ALIIS RE
MEDII NON CURANT

PROPTER SIMILE PLANTAE EXISTIT
- ANE EXCUSA -




VINDOBONAE
TYPIS JOHANNIS THOMAE TRATTNER
CENS. REG. MAJEST. AULICAE ET IMPERIALIS
MDCCCLXIII





PRÆFATIO.

 Monueram in prioribus meis libellis, me ad huc facturum experimenta circa varias venenatas plantas, meque ea semper orbi litterato (sive bono successu

A 2

gau-

gaudeant, sive malo) descripturum
fidei calamo, & sincero candore.

*Radix Colchici autumnalis nunc
erat, in cujus virtutem inquisivi.*

*Deprebendi hanc admodum a-
crem, & omnino deleteriam; &
ideo non mirabar, dum eam apud
omnes rei medicæ scriptores inter
summa venena positam legerem.*

*Interea tamen detexi, posse ho-
minis industria ejus acrimoniam cor-
rigi, & ita mitigari, ut acerrim-
um hoc venenum evadat remedium
in suo genere saluberrimum.*

*Parva dosi sumitur, & stupen-
dos edit effectus in promovenda urina.*

Ex-

Experimenta in ipso libello enarrata rem clare demonstrabunt.

Horum pleraque instituta sunt in magno nostro nosocomio coram pluribus medicis.

Multi enim, ut sese in arte medica firmos reddant, veramque, ac quotidiana experientia confirmatam praxim addiscant, nostrum adeunt nosocomium.

Nam in hac civitate nullum aliud est, in quo tot, tamque diversi generis, sexus, ac ætatis ægri decumbunt.

Adest præterea Medicus doctissimus H: J: COLLIN, qui methodo

6 P R Æ F A T I O .

*thodo facillima, & exquisita, rem
totam administrat.*

*Felices ægri, quorum medi-
cus adeo expertus curam habet!*

*Dum in recensendis morborum
historiis dico: parvum cochleare oxy-
mellis datum fuisse ægris, intelligo
semper dosin drachmæ unius.*







Colchicum Autumnale
Germ. Zeit los, wild. Saffran.



Augustin. Cypri. Medic. Stud.
delin et sculpsit. Vienna 1763





DE COLCHICO AUTUMNALI.



Colchicum autumnale germanis dicitur Herbstblumen vel Zeit losen.

Est *Colchicum* LINNÆI foliis planis, lanceolatis, erectis &c. vid. spec. plant. pag. 341.

Crescit plerumque in pratis humidioribus.

Surgit autumnali tempore ex ipsa radice flos purpurascens, tubiformis, qui sustinetur pedunculo albo, tenuissimo, pellucido.

Radix invenitur gemina, tuberosa, carnosa, quarum una est exterior sterilis & marcescens, altera autem latens intra priorem porrigitur in fibras, & fert plantam, estque uno involucro membranaceo obducta.

In recenti radice sapor deprehenditur acerrimus, in annosa vero sapor fit farinaceus, obtusus.

Verno tempore folia prodeunt tria vel quatuor, liliacea.

Ut viderem: an recens hujus plantæ radix (habita hucusque pro summo veneno) possit in ægrotantium

sa-

salutem adhiberi, institui experimen-
ta, quæ sequuntur.

EXPERIMENTUM I.

Radicem colchici succulentam ,
leviter contritam, linguæ api-
ci per bina minuta applicui, lingua
inde fiebat gravis, dein rigida, tan-
dem stupida, & mansit per sex ho-
ras omnis fere sensus expers.

Nil remedii adhibui, sed sola af-
fluente saliva linguam fovi, & hac
ratione liber hujus partis motus, sen-
susque tandem rediit.

EXPERIMENTUM II.

Tria hujus radicis succulentæ gra-
na in uncis quatuor vini au-
striaci (quo quotidie utebar) per

A 5

ho-

hōram digessi, vinum dein colatum
lenta deglutitione absumsi.

Inter deglutendum paulo acrius,
& leniter adstringens videbatur vi-
num, larynx inde titillabatur, & orta
est brevis, ac inanis tussicula.

In ventriculo nil turbarum ad-
verti.

Verum intra pauca minuta sensi
in viis urinariis ardorem, & paulo
post movebatur urina copiosa, pal-
lida; quod ex usu hujus vini alias
nunquam contigit.

In reliquis corporis actionibus nil
prorsus mutatum fuit. Appetitus man-
fit bonus, alvus solito more solve-
batur, nox tranquilla fuit, & corpo-
ris robur integrum.

Emi-

COLCHICI AUTUMNALIS. II

Eminus inde suspicabar: fors radici huic vim inesse diureticam.

EXPERIMENTUM III.

Radicis colchici succulentæ magnam portionem, per plures horas in forti aceto maceratam, dentibus momordi, & affricui linguæ ac palato, inde levia tantum ardoris atque constrictionis indicia adverti.

EXPERIMENTUM IV.

Radicis hujus succulentæ granum fere integrum, mica panis albi involutum, binis horis a partu meridiano deglutivi.

Per horæ quadrantem nil sensi.

Postea vero ardor in ventriculo oriebatur, qui eundem semper locum

te-

tenuit; dein vagi calores caput petebant, & frequentes horripilationes pervadebant dorfi spinam.

Ardor per integram horam in eodem loco permanfit, demum videbatur sese extendere per totam offis sterni longitudinem; etiam tunc in ventre leves, & continuo locum variantes ardores percipiebantur; hi autem ardores fenfim fiebant vivaciores, mutabanturque in vagos dolores colicos.

Post binas horas fenfi circa lumbos, & in viis urinariis ingentem prurimum, & mingendi conatum perpetuum.

Prodiit autem urina pauca, flamma, franguriofa.

Bre-

Brevi sequebatur dolentissimus alvi tenesmus; egerebantur in principio paucae faeces, dein vero sequebatur gluten, pellucidum, tremulum, satis copiosum; & inde dolores in ventre paululum levabantur.

Verum in viis urinariis mansit ardor, nec copiosior fuit urina.

Circa cordis scrobiculum magnam tunc observavi tensionem, & caput vehementer doluit, & superveniebant singultiendi conatus.

Pulsus agitabatur multum, appetitus erat penitus prostratus, sitis e contrario magna fuit.

Hæc symptomata me fere anxium reddebant, metui multum, & me ipsum nimis in propriam vitam temeritatis tacite incusabam.

So-

Solatio tamen mihi adhuc fuit, dum cogitavi portionem assumptæ radicis admodum fuisse exiguam, hinc ejus virtutem vix fore deleteriam.

Agebatur igitur de remedio, quo hæc symptomata mitigarentur, tollerenturque

Recordabar tertii experimenti, quo deprehendi: radicem colchici in aceto maceratam longe minus esse acrem.

Credidi itaque, acidum acrimoniam radicis destruxisse, vel ita saltem eam mitigasse, ut corpus humanum non multum afficeret.

Unde ex acido auxilium quæsi, & sequentem paravi potum:

R. aquæ fontanæ libras ℥iv.
 succi limon. recenter expressi
 ℥iv.
 syrup. diacod. ℥ij.
 spirit. nitr. dulc. drach. j.

M.

Hausi inde omni quadrante horæ
 uncias tres; & sumsi omni bihorio
 vasculum cremoris hordei.

Alvus movebatur aliquoties; &
 dein intra paucas horas magnum sen-
 si levamen: dolor capitis minuebatur
 multum, ardor in ventriculo fere to-
 tus evanuit, dolores colici fiebant lon-
 ge mitiores; nec fitis amplius tanta
 fuit.

Verum circa vias urinarias mansit
 adhuc continua irritatio, urina fere
 omni momento prodiit flammea, sum-
 me stranguriosa.

Un-

Unde nox tota turbata fuit.

Altero mane langui, aberat autem omnis ardor in ventriculo, & filuerunt penitus dolores colici.

Urina adhuc erat stranguriosa, & advertebantur frequentes ac irriti ad alvum conatus.

Caput fuit grave, liberum tamen a dolore; in sterno levis ardor percipiebatur.

Stranguria tunc erat malum mihi molestissimum, & cum ab acri stimulo penderet, qui acido corrigenti remedio nondum penitus obedivit, putavi, remediis involventibus esse agendum; bibi propterea saturatum althææ decoctum; unde eodem die libere adhuc fluxit urina; quæ in principio ruffa fuit, dein subfusca, tandem viridescens,

descens, & acrem odorem spargens,
dein pallida, aquosa.

Appetitus erat penitus deletus.

Nox satis tranquilla fuit, sumta
uncia una syrui diacodii.

Tertio die præter membrorum
languorem, & vagum brevemque, ac
lancinantem in articulis dolorem nil
infoliti in me adverti.

Prandium sat bono appetitu assum-
fi, nec inde gravabar.

Nox sine paregorico tranquilla
fuit.

Quarto die bene me habui, & vi-
res jam videbantur bonæ.

EXPERIMENTUM V.

Binas drachmas radicis succulentæ
Colchici in sedecim partes dissecui,

B eaf.

eaſque exacte miſtas cum unciis duabus carnis ovillæ toſtæ, cani mediocri, famelico, præbui ex orbe terreo.

Canis ciborum avidiſſimus momento citius totam hanc offam devoravit.

Hoc factò eum retinui in meo cubili, & adtentus ſequentia obſervavi:

Canis per integram horam manſit hilaris, & agilis in omnem partem; dein ſitu naturali decubuit, & ilico cœpit dormire.

Post tranquillum dimidiæ horæ ſomnum evigilavit, membra pandiculando extendit, & inter oſcitandum ſine ullo proſus molimine totam carnis aſſumtæ quantitatem, & omnes ſedecim radicis portiones, pauliſper maceratas, vomitu reddidit.

Obtu-

Obtuli tunc cani eundem orbem, ex quo antea carnem & radicem *colchici* devoravit, accurrebat alacriter, & avide olfaciendo ubique novam of-
fam quæſivit.

Per horam tunc vigil fuit, alacer, & in omnia adtentus, & quamprimum velcarnes vel panem, vel aliud quid, quod nutrimento foret, vidit, magno ejulatu id petiit.

Demum iterum fitu penitus naturali decubuit in terram, & denuo dormivit; tunc autem post pauca minuta artus posteriores tremulo motu celerrime agitabantur, convulsum est totum abdomen, & scrobiculum cordis summa vi trahebatur intror-
sum.

Hæc dum per mediam horam durassent, canis subito evigilans furebat, & totus anxius, ac præcordiis vehementissime contractis, evomuit magnam copiam materiæ glutinosæ, albicantis; horrebat a quocunque oblato cibo, tristis erat, & languit.

Inter continuos artuum tremores & abdominis ac præcordiorum diras convulsiones canis iterum se se ad somnum composuit; verum post pauca minuta coepit ululare, & e cubili pro more consueto voluit egredi, ut alvum exoneraret, id vero cum non concederetur, dimisit in cubile magnam urinæ copiam & multam alvum, foetidam, liquidam, fuscam.

Ab eo tempore non amplius quievit; abdomen & præcordia agitabantur

tur vehementissime, & extrema tremebant continuo, & spatio tredecim horarum canis vomuit quinquaginta sex vicibus, & quadragesies alvum deposuit, & urinam.

Vires tunc erant penitus prostratae, erumpebat sudor tenax, foetidus, & largus per universum corpus; silit alvus & vomitus, oculi fiebant tristes, concavi, lachrymosi, tandem inter continuos artuum tremores, & diras convulsiones canis misere interiit.

Materies vomitu rejecta in principio erat albicans, tenax, glutinosa, sensim tenuior facta est (similis salivæ) dein erat instar loturæ caninis.

B 3

Quæ

Quæ alvo prodibant, ab initio erant stercoreæ, dein simillima iis, quæ vomitu expellebantur, tandem mixta sunt multo sanguine, carunculis, & frustis membranaceis.

Sub finem partes membranaceæ pollicem latæ, & binos pollices longæ, cohærentes adhuc cum intestinis, pendebant ex canis ano.

Quotiescunque canis ad alvum deponendam movebatur, toties se se levavit, & e cubili exire voluit; imo dum jam vires erant valde exiguæ, conabatur adhuc se erigere, & capite ac oculis petebat portam.

His concludo: nil in sensorio communi vi hujus violenti pharmaci destructum fuisse, cum sensatio & me-

mo-

moriam ad finem usque integræ perfecerint.

Nauseosus excrementorum foetor ultra octiduum adhuc in cubili percipiebatur, licet id continuo suffraginis, & permeante vento fuerit lustratum.

Aperto abdomine inventus est ventriculus mole exiguus, plenus aqua rubella, hinc inde gangrenosus, in aliis partibus inflammatus.

Intestina omnia tam tenuia, quam crassa erant instar chordæ contracta, & adeo angusta, ut vix tenuis filus in eorum cavum potuerit induci.

Intestinatorum membranæ erant adeo tenaces, duræ & fere callosæ, ut vix forcipe scindi potuerint. Plures

B 4 quo-

quoque eorum partes reperiabantur inflammatae, aut gangrænosæ.

Reliqua omnia viscera sana videbantur; sanguis in venis contentus niger erat, lentus, tenax.

Experimenta hucusque instituta docebant manifeste: *colchicum* natura sua venenum esse admodum acre, & deleterium, neque id impune posse dari hominibus.

Cum tamen acida hujus acrimoniam videbantur corrigere, orta est quæstio: an non *colchicum*, acido cicuratum, in bonum ac innocuum evaderet remedium.

Atque propterea sequens paravi acetum medicatum:

℞: radicis colchici recentis, succulentæ, in tenues taleolas sectæ unc. j.
aceti vini. libr. j. hæc

hæc lento igne in phiala vitrea invicem digere per quadraginta octo horas, sæpius tamen phialam agitando; dein colaturam leviter expressam exhibe.

Dum *colchici* recens radix in taleolas scinditur, spargit acres particulas, quæ nares, fauces, ac pectus feriunt, & irritant.

Apices digitorum, quibus radix secanda tenetur, sensim stupidi fiunt, & amittunt aliquamdiu debitam sentiendi facultatem.

Taleolæ ex colatura residuæ gustu mites sunt, & fere insipidæ.

Acetum inde paratum odorem saporemque acidum conservat; verum acre est, linguam vellicat, degluti-

tum irritat fauces, eas constringit,
& tussim inanem movet.

Acetum hoc, ut magis mite redderetur, redegit cum debita quantitate mellis puri in oxymel; idque conficiebatur simili modo:

℞. aceti colchici rite parati

libr. j.

mell. pur.

libr. ij.

misce & supra molli igne, sæpius agitando cochleari ligneo, coque ad mellis consistentiam.

Mel hoc subfuscum est, & grate acidum, leniter vellicat linguam, leviter adstringit, & linguæ mucum optime absterget.

Hujus oxymellis paucam quantitatem sæpius gustavi, deglutivi, & nullum inde effectum sensi.

Tan-

Tandem auxi dosim, & mane vacuo ventriculo sumsi oxymellis colchici parvum cochleare (Caffée Lösfert voll) in vasculo infusi thée ordinarii.

Hac dosi nec inter deglutendum afficiebar, nec ullam in ventriculo, aut intestinis molestiam percepi.

Verum post binas horas subitum, & admodum urgentem urinæ stimulum sensi, & prodiit tunc magna urinæ citrinæ, vix odoræ, copia.

Spatio quatuor horarum ter mihi idem contigit.

Tempore prandii appetitus bonus fuit. Post meridiem urinæ stimulus penitus abiit.

Nox tranquilla fuit.

Altero die eandem colchici oxymellis quantitatem eodem modo iterum assumfi.

Vidi urinam solito longe copiosius moveri, cæteroquin nil molestiæ in me ortum est.

Tertio die idem profus observavi.

Quarto die nil de oxymelli sumfi, bibi autem eandem quantitatem infusi thée, uti diebus præcedentibus.

Urina longe minori copia prodiit, nec tantum adverti stimulum.

Quinto die iterum assumfi in vasculo infusi thée parvum cochleare oxymellis colchici, & idem mihi contigit, quod die primo, secundo, & tertio observatum fuit.

Idem die sexto, & septimo contigit.

Octa-

Octavo die nil assumfi, & prodiit tunc urina naturali modo, & solita quantitate, & ego me optime habui.

Ex his conclusi.

Primo: hoc oxymel datum parva dosi nullum adferre damnum, nec ullam in corpore actionem turbare.

Secundo: inesse huic oxymelli virtutem pellendi urinam.

Tertio: posse tentari in omni morbo, ubi serum stagnat, vel nimium abundat, & ubi materies peccans per urinæ vias debet educi.

Quarto: id igitur posse plurimum prodesse iis, qui hydrope laborant.

En sequentes morborum historias!

CASUS PRIMUS.

Homo viginti septem annorum, febre intermittente tertiana per plures menses affligebatur, innumera fere remedia tam a medicis, quam chirurgis ei sunt administrata; febris subinde per plures dies filuit, verum rediit semper majori cum violentia.

Tandem cum tanta remediorum farragine se se frustra fatigari videbat, oblatum quendam (sibi ignotum) pulverem a muliercula assumsit.

Suppressa est inde febris penitus; ast vires languerunt, appetitus erat prostratus, color faciei fiebat luridus, terreus, tendebantur hypochondria, prodibat urina pauca cum multo ardore, alvus frequenter excernebatur, mucosa, & continuos excitans tene-
fimos. Quar-

Quarta septimana intumuit venter, sensimque pedes, & brachia inflabantur cedemate admodum molli.

His in miseris æger meum petit consilium.

Primo die exhibui ipsi drachmam rhei electi; unde octo vicibus purgabatur; tensiones circa hypochondria paulisper diminutæ sunt, & ventriculus altero die ingesta facilius tulit.

Dedi dein conservam sequentem:

℞. pulv. rad. enul. campan. dr. β

terr. fol. tart. dr. ijβ

conserv. nast. aq. unc. ijβ

oxymell. scillit. unc. i

spirit. nitr. dulc. gtt. LX

M.

S. fumat æger omni trihorio parvum cochleare (caffée Löffel voll).

Spa-

Spatio trium dierum cessabant integre hypochondriorum tensiones, appetitus sensim melior fiebat, & noctes, antehac anxie & turbatae, jam longe quietiores erant.

Sub usu hujus remedii alvus fiebat segnis, dura, & urina semper pauca fuit, stranguriosa; unde sexto die iterum drachmam rhei exhibui.

Æger inde levabatur multum, coepit bene appetere, & vires increverunt quotidie.

Continuavi dein usum prioris conservæ adhuc per octo dies; & color faciei erat magis naturalis, venter mollior, appetitus bonus, neque tamen urinæ major copia prodiit, & alvus mansit immorigera, & artus fuerunt

runt æque cedematofi, ac in principio.

Cogitavi igitur de tentando oxymelli colchico; verum antequam illud præbuerim, dedi adhuc pulverem ex drachma una rhei, qui magno cum levamine sexies ægro alvum subduxit.

Jussi dein, ut æger assumeret oxymellis colchici drachmam unam mane, & drachmam vesperi in vasculo infusi florum sambuci.

Primo die frequenti & irritato alvi tenesmo vexabatur æger, & urina, adhuc pauca & ruffa, magnos in urethra ardores excitavit.

Die secundo prodiit urinæ fusca magna copia, & ardor desit, alvus

C

eo-

eodem die bis egerebatur, foetida, biliosa, multo glutine mixta.

Tertio die ter exhibui oxymellis colchici drachmam unam in infuso florum sambuci, & æger hoc die ultra tres mensuras urinæ, varii coloris, dimisit, & sensit sæpius alvi conamen, verum id semper erat irritum.

Quarto die eadem dosi continuatum fuit, & iterum copiosa exiit urina; appetitus erat bonus, vires auctæ sunt, & membra ad motum videbantur longe faciliora.

Quinto die quater exhibui drachmam unam oxymellis colchici in eodem infuso.

Alvus tunc bis fluxit biliosa, ardens, & multa urina pallida, vix odora

dora, excernebatur; tumor brachiorum & crurum inde valde diminutus est; æger fat bene se habuit, nec orta est fitis, & appetitus viguit.

Spatio novem dierum disparuit crurum brachiorumque tumor, venter redactus est ad molem naturalem; cum autem ultimis tribus diebus alvus retinebatur, dedi iterum pulveris rhei drachmam unam.

Curavi dein bis per diem totum corpus fricari pannis laneis, fumo succini crudi imbutis, & hac ratione æger perfecte convaluit.

Vires erant integræ, somnus tranquillus, appetitus bonus, nec toto hoc tempore febris intermittens ulla indicia observata sunt.

CASUS SECUNDUS.

Vetula jam per plures menses in nostro nosocomio decubuit, laborans vehementissima tussi, qua sputa purulenta, viridia, foetida rejecit.

Respiratio erat admodum anxiosa, noctu saepe subito evigilavit, metuens, ne suffocaretur, nec supine jacere potuit, nec ulli lateri incumbere; cogebatur fere semper trunco erecto federe in lecto.

Remedia optima adhibita nil profusus levaminis attulerunt; vespertino tempore observabatur febris vehemens; sensim totum corpus intumuit.

Facies quoque ita erat inflata, ut aegra vix potuerit aperire oculos; vi-
res

res sensim diminutæ sunt, & urina facta est stranguriosa.

Solo remedio refocillante cardio ægram jam fere moribundam conservare conabamur; interim res omni momento abiit in pejus; spes curationis prorsus nulla supererat, quum nec minimus effectus ex datis remediis sequebatur.

Volui videre, quid oxymel colchicum in casu hoc maxime desperato præstaret.

Rogavi propterea clarissimum Dominum *Collin*, amicum meum plurimum venerandum, qui curam gerit ægrotantium in nostro nosocomio, ut mane parvum cochleare hujus oxymellis exhiberet, & totidem vesperi, in infuso quodam pectorali.

Inde vidimus non tantum nil mali ægrotanti contingere, sed & primis statim diebus sputa longe copiosiora prodire.

Hinc tertio die dedimus ter parvum cochleare, & quarto die quatuor vicibus.

Observavimus tunc urinas majori copia fluere, sputa copiosa facile procedere, & mollescere tumorem alias durum, tensum.

Hac dosi spatio octo dierum facies, & latus finistrum totum detumuit, ventris moles quoque diminuta est, lateris autem dextri tumor, licet mollior fuerit, mole tamen non decrevit.

Ægra cœpit melius appetere, potuit in latere dextro decumbere, &
lo.

loquebatur longe liberius, neque noctu toties evigilavit; & urina copiose & absque ullo dolore fluxit, erat autem fusca, foetida, dimittens sedimentum subnigrum, flocculentum, crassum, inæquale.

Verum perstitit febris vespertina æque vehemens, licet data fuerint emulsa nitrosa, aliaque refrigerantia, diluentia; neque auctæ sunt vires.

Interim sufficiebat nobis, ægram saltem levare in aliquibus ab hoc remedio, ubi nec oxymel scilliticum, nec vinum scilliticum, nec alia fortia remedia aliquid præstare poterunt,

Et propterea hac dosi continuandum censuimus; quo effectum fuit, ut fere totius corporis tumor sensim

evanuerit; tuffis tamen violentia mitigata non est, licet sputa copiosa prodierint, vires febre vespertina sensim consumebantur, & quinta septimana ægra obiit.

Spem nullam unquam habuimus curandi hanc ægram; hoc tamen in casu docebamur: oxymel colchicum non nocere similibus ægris, id pellere urinas, promovere sputa, & hac ratione ægris, in maximis calamitatibus positis, adferre levamen.

CASUS TERTIUS.

Alia vetula simili prorsus morbo eodem tempore in nosocomio decubuit, vires autem erant adeo debiles, & respiratio adeo anxiosa, ut omni ferme momento subita mors expectaretur. Cum

COLCHICI AUTUMNALIS. 41

Cum omnia remedia essent incasum adhibita, videbatur nobis quoque tentandum esse oxymel colchicum.

Dabatur inde mane drachma una, & una vesperi in vasculo infusi pectoralis.

Primo statim die copiosius fluxit urina, & sputa multa, purulenta, facili negotio rejiciebantur.

Altero die jam magnum inde levamen sensit agra.

Tertio die dedimus quater drachmam unam oxymellis colchici.

Tumor inde per totum corpus diminutus fuit, pulsus erat melior, & respiratio longe facilior, & prodierunt sputa admodum larga.

Ardorem in ventriculo ante usum
hujus oxymellis ægra semper conquerebatur, qui totus disparuit sumpto hoc remedio, imo increvit appetitus.

Verum vires auctæ non sunt; & decimo quinto die ægra moriebatur.

Ufu oxymellis colchici morbus est longe levior redditus, prolongatique sunt ægotantis dies.

Hoc medicis sufficit, dum morbus est major remediis & arte.

Aperta sunt hæc bina cadavera, & invenimus in utriusque thorace magnam feri effusi copiam, pulmones erant toti exulcerati, tabidi, in parvas moles consumpti.

CASUS QUARTUS.

Femina, 62 ann., ascite & pessimo hydrope anasarca jam a quatuor mensibus laborans, die 24 Octobris anni 1762 ad nostrum nosocomium deferebatur, ut ultimos vitæ suæ dies hic ageret.

Respiratio ei erat valde anxia, pulsus inæqualis, intermittens, tussis molesta, fere continua, & audiebatur perpetuus strepitus multæ materiæ mobilis in pulmone; ægra nullatenus poterat decumbere, sedebat semper erecta in lecto.

Data optima expectorantia, diuretica, & alvum leviter subducantia nil prorsus juverunt.

De-

Demum tentatum per plures dies vinum scilliticum, addito adhuc oxymelli scillitico, nil profuit.

Unde Dominus *Collin* & ego transivimus ad usum oxymellis colchici.

Jussimus, ut statim primo die quater daretur drachma una hujus oxymellis in infuso quocunque pectorali.

Ægra eodem adhuc die copiosa reddidit sputa, tenacia, subviridia, misitque magnam urinæ quantitatem absque ullo ardore.

Altero die jam melius se habuit, sputa continuarunt prodire, & urina egregie fluxit, alvus quoque bis soluta fuit.

Tertio die idem observavimus.

Quarto die dedimus quater drachmas duas oxymellis colchici; & hæc
dosis

dosis ad totum morbum vincendum
sufficiebat.

Etenim per urinæ vias tanta aquæ
copia quotidie fuit evacuata, ut duo-
decimo die jam totus ventris & uni-
versæ reliqui corporis tumor abfus-
erit.

Pectus etiam tunc longe liberius
fuit, pulsus fere naturalis, ægra omni
in situ potuit decumbere, noctes ha-
buit tranquillas.

Tunc oxymel iterum minori dosi
exhibuimus, & ægra sumplit quater
per diem unam tantum drachmam.

Tussis fiebat quotidie minus mo-
lesta, sputorum copia sensim minue-
batur, vires auctæ sunt, viguit ap-
petitus.

Fi.

Finita tertia septimana ægra jam extra lectum ambulavit; & dein intra paucos dies optime se habuit, & erat sana.

Peracta hac curatione multum lætabamur Dominus *Collin*, & ego supra virtutem hujus oxymellis colchici; mirabantur hanc curam Domini medici, qui nostrum nosocomium adeunt.

Quod autem maximo nobis gaudio cessit, erat: quod illustrissimus *van Swieten* hanc curationem propriis oculis observaverit.

Nam vidit ægram in pessimo morbi statu, vidit eam convalescentem, & dein penitus sanatam.

Servavimus hanc sceminam curatam ultra tres menses in nostro nosocomio, ut videremus: an non, facta
cu-

curatione, adhuc aliquid finistri ex usu oxymellis colchici observaretur.

Verum foemina mansit sana, peregit labores domesticos, bene comedit, optime dormivit, alvum habuit liberam, & urinam penitus naturalem; unde eam tandem ex nosocomio dimissimus.

CASUS QUINTUS.

Vir, 56 ann., ascite jam per plures menses laborans, veniebat ad nostrum nosocomium.

Adhibebantur omnia, quaecunque ars ad similem morbum debellandum indicabat; verum levamen nullum sequebatur, ventris moles multum aucta est, intumuerunt femora, & crura, deletusque fuit appetitus.

Hæc

Hæc mala symptomata nos cogebant ad tentandum oxymel colchicum.

Quater per diem data est drachma una in vasculo infusi hederæ terrestris; hac dosi per quatuor dies continuatum fuit.

Hoc tempore observavimus urinam longe copiosius fluere.

Quinta die sumpsit æger quater binas drachmas.

Tunc quotidie ultra duodecim libras urinæ dimisit.

Erat urina varii coloris, habebat plerumque sedimentum mucosum, flocculentum, subinde scœtuit, & supernatabat pinguis ac variegata pellicula.

Spatio sex dierum abdomen fiebat multo mollius, & minus volumine.

Dein

Dein femora & crura quoque observabantur minus tenfa.

Ingens quotidie urinæ copia prodiit, & hæc vis medicamenti adeo egregie operabatur, ut intra quinque septimanas omnis prorsus tumor fuerit dissipatus.

Rediit appetitus, somnus, & alvus solvebatur semel quotidie, more naturali.

CASUS SEXTUS.

Fœmina, 35 ann., a longo tempore phtisi pulmonali affecta, incidit in pessimum totius corporis hydropem. Retenta sunt sputa, pectus factum est anxium, & prodibant tantum paucæ urinæ guttulæ, eæque ingentem in urethra ardorem excitabant.

D

Hæc

Hæc fœmina adeo malo erat in statu, ut subita suffocatio omni momento merito timeretur.

Frustra cum fuissent optima remedia, tentatum fuit oxymel colchicum.

Quater per diem exhibebatur parvum cochleare oxymellis colchici in vasculo infusi pectoralis diluti; præterea continuatum fuit gratum julapium cardiacum, quo ægra jam antehac utebatur, ad vires refocillandas.

Primis duobus diebus cœpit ægra sputa cœnosa admodum fœtida rejicere, cæteroquin nil mutatum fuit.

Tertio die dedimus quater duo parva cochlearia oxymellis colchici.

Urina tunc fluxit liberius, cessavit

vit ardor, egerebatur copiosum sputum, & ægra multum levabatur.

Hac igitur dosi pergebatur; & sensim detumuit venter, totumque corpus, & ægra spatio viginti dierum ab hydrope liberata fuit.

Vires aliquantulum auctæ sunt, appetitus cœpit increfcere; vidimus itaque hoc remedio vitæ dies esse prolongatos, & hydropem, qui momentaneam mortem jam minitabatur, dissipatum esse; verum pulmonis morbus mansit idem, neque diminuta est tussis violentia.

Abstinuimus tunc ab usu oxymellicis colchici, & remediis cardiacis, pectoralibus, & diæta lactea per binos adhuc menses ægram conservavimus; tunc autem suppresso sputo affocata fuit. D 2 In

In cadavere inveniebatur totus dexter pulmo in putrilaginem confusus, eademque pectoris cavitas erat repleta fero fanioso, nigro, foetente; mediastinum erat innumeris maculis nigris notatum.

Pulmo sinister sanus erat, & reliqua omnia viscera.

CASUS SEPTIMUS.

Vir, 50 ann.: , vino valde deditus, languebat per plures menses, dein ventris hydrope affectus est.

Varii generis remedia diuretica, & purgantia ei sunt exhibita, absque ullo profus levamine, imo eorum sub usu vires diminutæ sunt, & augebatur ventris volumen.

Vi-

Vinum scilliticum, alias valde efficacax, nil profusus juvit.

Tandem quater quotidie data fuit drachma una oxymellis colchici.

Hæc dosis vix ullum effectum præstitit.

Unde tertio die quater binas hujus mellis drachmas exhibuimus; qua dosi tanta urinæ copia propellebatur, ut spatio undecim dierum aquæ omnes fuerint evacuatae, nullaque hydropis vestigia amplius superfuerint.

CASUS OCTAVUS

Fœmina, 30 ann:, per novem menses febre tertiana vexabatur, hac tandem curata cœpit ventris hydrope affici.

Varios adiit medicos, multa assumfit remedia, nihilominus morbus semper reddebatur pejor; & sensim ægra ita fuit debilitata, ut extra lectum esse non potuerit.

Ad nostrum igitur nosocomium translata fuit.

Sitim tunc magnam conquerebatur, pulsus erat celer, subdurus, & venter tensus, ac mole adeo magnus, ut respirationem redderet difficilem, & anhelosam; observabatur tussicula brevis & fere continua.

Propter pulsus duritiem, ac celeritatem, & ob sitim ingentem indicabantur tunc remedia antiphlogistica, diluentia.

Præscriptum ideo primo die fuit emulsum refrigerans, nitrosum.

Se-

Secundo die præter hoc emulsum
dabatur quatuor vicibus drachma una
de oxymelli colchico.

Intra quatrimum filuit febris, ab-
eratque fitis, & jam cœpit venter mol-
lior fieri.

Neque amplius tunc necesse fuit
exhibere emulsum.

Dupla igitur dosis oxymellis col-
chici data fuit.

Ingens urinæ copia educebatur,
& spatio paucorum dierum venter pe-
nitus concidit, ægra bene se habuit,
libere respiravit, cessavit omnis tussis,
fomnus erat tranquillus, longus, re-
ficiens.

Post binas septimanas ægra vires
suas recuperavit, & sana valedixit
nosocomio.

D 4

CA-

CASUS NONUS.

Femina, 37 ann.; postquam ictero, & ventris hydrope per plures menses laboravit, variaque assumsit remedia, venit ad nostrum nosocomium.

Tensum erat abdomen; in sinistro hypochondrio tangebatur moles lata, dura, mobilis; regio hepatis tactu dolebat; corpus totum erat tinctum colore ex flavo nigrescente,

Appetitus erat exiguus, fitis nulla, alvus raro & difficulter solvebatur, urinæ erant paucae, crassæ, nigrescentes,

Saturato radicis graminis decocto, addita terra foliata tartari, & melle mercuriali, conabamur obstructum
fol-

solvere, urinæ vias aperire, alvum leniter subducere.

Dum per aliquot dies ægra hoc decocto usa fuit, sensit anxietates circa præcordia, & ingentem sanguinis vere atrabilarii copiam per os & anum rejecit.

Debilis inde facta est, & conque- rebatur magnos in ventre dolores.

Ideo loco hujus decocti remedia demulcentia, & paregorica exhibuimus.

Altero die similis sanguinis copiam admodum magnam ano reddidit; per superiora autem nihil comparuit, dolores ventris permanebant, verum anxietates circa præcordia diminutæ sunt.

Unde in demulcentibus, vulnerariis, ac leniter paregoricis remediis pergendum censebamus.

Ardor ac dolor ventris inde sopiti sunt, neque amplius prodiit sanguis, verum increvit ventris moles ita, ut respirationem inhiberet, & incuteret suffocationis metum.

Percutiendo ventrem sentiebatur manifeste, ingentem in cavo abdominis aquarum quantitatem latere, harum igitur evacuatio urgebat.

Fortia, acria, & stimulantia diuretica in corpore adeo cachectico tentare non licuit, nec ausi sumus exhibere violentiora remedia purgantia, ne sanguinis fluxum, qui tandem lethalis esse potuisset, denuo excitaremus.

Nil

Nil igitur supererat præter oxymel colchicum, cujus effectus egregios in tot jam ægris vidimus, quodque nullas unquam turbas movit.

Primo statim die quater datum est parvum cochleare hujus oxymel-
lis, & ægra qualibet vice hauriebat
desuper vasculum quatuor unciarum
emulsi, quod syrupo diacodii probe
edulcoratum erat.

Hoc emulsum datum fuit ideo, ut
leni sua vi paregorica, & involven-
te omnis irritatio, quæ forsan sequi
potuisset, sopiretur ilico.

Oxymel colchicum hoc in casu
mira præstitit: etenim urina absque
omni ardore fluxit copiosissima, &
hæc erat fusca, crassa, & subnigrum

ac tenax sedimentum in vasis fundo formavit.

Nec opus fuit dosim oxymellis augere, quum ex hac optatus sequebatur effectus; nam spatio quatuor septimanarum disparuit & hydrops, & icterus, fœmina integre convaluit.

Primis diebus jam omnes ventris dolores integre cessarunt, alvus prodiit sponte, bene cocta, ægra non afficiebatur ulla siti, licet enormis urinæ quantitas fluxerit quotidie; appetitus quoque brevi restitutus est, & mox auctæ sunt vires.

Hæc dabant ilico spem futuræ sanitatis.

Hæc curatio Domino *Collin* mihi- que tanto majori erat gaudio, quum jam artis professores in observando,
cu-

curandoque hujus fœminæ morbo plurimam operam adhibuerunt, dum autem omnia videbantur incassum applicata, transmiserunt eam ad nostrum nosocomium, quasi affectam morbo incurabili.

CASUS DECIMUS.

Virgo viginti aliquot annorum per plures menses in nostro nosocomio decubuit, habens ventrem admodum magnum, durum, femora, & crura erant quoque valde tumida, & ligni instar dura, ægra nec sedere poterat, nec pedibus insistere, nec flectere corpus.

Cum tentata hucusque remedia malum nequaquam emendaverint, exhibitum fuit oxymel colchicum.

Hujus

Hujus usu, prodiit urina admodum copiosa, & spatio duarum septimanarum venter factus est magnitudine, & mollitie naturalis, concidit quoque femorum crurumque tumor, ægra jam est extra lectum, corpus flectit, pedes movet, ambulat, superest solummodo dolor lancinans in tarforum articulis; verum & hic jam minuitur.

Nulla unquam in ventre fluctuatio percipiebatur; neque femorum crurumve tumor erat oedematofus; omnia erant rigida & durissima.

CASUS UNDECIMUS.

Viro, sexagenario majori, qui anno-
sa tussi, difficili respiratione, &
admodum molesta stranguria laboravit, exhibui oxymel colchicum.

Tuf-

Tussis inde fiebat mollior, pro-
dierunt sputa purulenta, copiosa, &
respiratio facta est liberrima.

Verum stranguria inde sanari non
potuit, licet per sex integras septi-
manas æger hoc oxymel diligentissi-
me assumeret.

Est autem hæc stranguria orta ex
gonorrhœa venerea, quæ incautis
injectionibus saturninis præmature fi-
tebatur.

CASUS DUODECIMUS.

Fœmina, 36 annor., tribus abhinc
mensibus cœpit vexari tussi ve-
hementissima, respiratio sensim fie-
bat difficillima.

Remedia adhibita malo nequa-
quam poterant limites ponere.

Ete.

Etenim noctes erant inquietæ, ægra in nullo situ potuit decumbere, dormiens sæpe subito evigilavit, febre suffocata, & hiante ore aëra petiit.

Tandem cœperunt tumere pedes, crura, femora, tendebatur abdomen, & intra paucos dies totum corpus ita turguit tumore œdematoso, ut ægra movere se non potuerit, oculi erant sub aquis sepulti, nec vox erat libera.

Interim tussis pergebat esse æque molesta, & respiratio longe difficilior, & retenta est urina.

Diuretica ex scilla, & aliis vegetabilibus ac mineralibus parata urinæ stimulum excitarunt; & præter paucas ardentis urinæ guttas nil moverunt.

Pur-

Purgantia magnam quidem aquarum copiam eduxerunt; tumor tamen diminutus non est, oriebatur inde pectoris major oppressio, & multum debilitatæ sunt vires.

Tandem suasi, ægra ter quotidie fumeret parvum cochleare de oxymelli colchico.

Primo die jam liberius excernebatur urina.

Secundo die prodierunt sputa purulenta, foetida, ægra jam facilius respiravit, & coepit membra movere, urina mittebatur copiosa sine ullo ardore.

Tertio die quater sumfit parvum cochleare hujus oxymellis.

Hac dosi sputum, & urina ita promovebantur, ut spatio quindecim

E

die-

dierum dissipatus fuerit omnis tumor,
& ægra liberrime respiraverit.

Jam nunc appetit, vix ulla tussi
vexatur, ambulat extra lectum, no-
ctu quiete dormit, potest in omne
latus decumbere, vires augentur quo-
tidie.

Miram vidi hoc in casu remedii
efficaciam; dosis sane exigua est, &
effectus ingens.

CASUS DECIMUS TERTIUS.

Vetula, nonaginta annorum, vige-
sima prima Aprilis deferebatur
ad nostrum nosocomium.

Erat sui penitus nescia, furda,
nec poterat loqui, nec ullum move-
re membrum (quasi morbo apople-
ctico detenta) agebat respirationem
ster-

stertorofam, sublimem, habens pul-
fum inæqualem, intermittentem,
debilem; dum tussiebat, audiebatur
ingens strepitus materiæ mobilis, qua
pectus repletum erat.

Præterea totum corpus immani
mole tumebat, & abdomen, aqua
plenissimum, valde protuberabat, &
erat tensum.

Per plures dies data sunt remedia,
quæ sputum, & urinas moverent,
excitarentque vires suppressas. alvus
educebatur enemate.

Verum morbus inde in melius
mutatus non est.

Unde exhibebatur oxymel col-
chicum.

Data est primo die integra uncia
divisa in quatuor doses.

E 2

Hanc

Hanc quantitatem ægra optime tulit, & mox percipiebatur medicamento efficacia.

Prodibant urinae copiosissimæ, & altero die jam ægra sibi magis erat præfens.

Intra paucos dies cœpit ad rogata respondere, respiravit liberius, movebat aliquantum membra, tumor omnis erat mollior, pulsus sat æqualis.

Remedii dosis aucta non fuit, quum jam ex hac sequebatur effectus, quo melior haberi non poterat, etenim urina fluxit ingenti copia.

Ægra quotidie melius se habuit, & convaluit spatio trium septimanarum; etenim evanuit omnis tumor, venter redactus est ad molem naturalem, vires nunc bonæ sunt, respiratio libera,
tus-

tussis omnis cessat; jam adest somnus
tranquillus, & appetitus in vinum,
& cibos.

Illustrissimus *van Swieten* hanc cu-
rationem quoque vidit.

Mira sane medicamenti virtus in
vetula adeo misera!

Urina in hac ægra erat varii co-
loris, & deponebat ad vasis fundum
magnam glutinis tenacioris copiam.

Spūtum nunquam prodiit, licet
pectus plenum videretur in morbi
principio. an sputi materies fors solu-
ta exiit per urinæ vias?

An fors & serum intra cranium
fuit effusum, vel an seroso tumore
erant interiora cranii inflata, dum æ-
gra sui omnino immemor, & quasi

E 3 pre-

prehensa apoplexia in nostrum nosocomium transferebatur?

Plures adhuc in nostro nosocomio decumbunt affecti hydrope; omnes bonum ex oxymelli colchico effectum experiuntur, & quidam jam inde vix non integre sunt sanati.

Quod experimenta in nosocomio instituta optato fere semper successu gaudeant, plurimum debetur, sedulitati & firmæ experientiæ eruditissimi viri *Collin.*

Ex enarratis casibus patet evidenter:

Primo: posse tuto exhiberi hominibus oxymel colchicum.

Secundo: id quandoque summam habere efficaciam in morbis maxime desperatis, ubi alia remedia sunt in-
ertia.

Ter-

Tertio: non desiderari magnam hujus remedii quantitatem ad morbos pertinacissimos curandos; verum sufficere dosin admodum mediocrem.

Quarto: hoc remedium promovere sputa, hinc eo mitigari tussim, & fieri respirationem liberam.

Quinto: esse maximum diureticum, nec ullas excitare turbas, nec tenesmos.

Sexto: convenire ubique, ubi ferum abundans debet per urinæ vias expelli.

Septimo: præprimis igitur hoc oxymel colchicum prodest hydropicis.

Attamen nequaquam dico: hoc remedio posse omnes hydropes curari, concludo tantum: in his morbis quandoque juvare oxymel colchicum, ubi

alia usitata, licet cæteroquin fortissima, nil efficiunt.

Ego in nullo ægro malum ex hoc remedio effectum observavi, & adtentus profecto in omnia sum, & ero deinceps semper.

Si vel minimum mihi contingeret unquam, quod ejus usum redderet suspectum, vel damnaret penitus, ero ego primus, qui publice monebo; ero primus, qui contra me ipsum arma feram. An quis plus desiderat?

Datur in principio bis per diem drachma una hujus oxymellis homini adulto.

Diluitur in vasculo decocti, vel in vasculo cujusdam infusi, quod ægro, vel medico placet.

Se-

Secundo vel tertio die exhibetur ter drachma una, tandem quater.

Dum hanc dosim ægri facile ferunt, & effectus inde debitus non habetur, tunc ea poterit sensim auge-ri, donec assumatur per diem uncia integra, vel uncia una cum dimidia.

Si autem uncia, vel uncia una cum dimidia nil efficiat, tunc vix quidquam ex hoc remedio speratur.

Dum ægri dilutum ferunt hoc oxymel tunc potest tandem dari sine vehiculo.

Incipiendo a parva dosi itur semper via tuta; interim si casus urget, tunc licet ilcio majorem quantitatem exhibere.

E 5

Si

Si præter oxymel colchicum (propter varia morbi symptomata) aliud quoque remedium indicatur, debet id nequaquam negligi.

Nullum hucusque observavi, quod hujus mellis actionem turbasset, aut ejus vim infregisset.

Nec ipsum opium nocet; cujus usus quandoque est maxime necessarius, ubi noctes sunt insomnes; vel ubi ægri sunt spasmis &c. subjecti.

His monstravi, qua methodo radix *colchici* possit dari ægris sine noxa.

Indicavi in quibusne morbis videatur prodesse.

Hoc interim sufficit.



AP.

APPENDIX.

Multo cum oblectamento id iterum hic confirmo de *cicuta*; quod in primis libellis, & in supplemento necessario asserui.

Quotidiana enim experientia magis convincimur, *cicutam* esse remedium summe innocuum, & salutem quandoque iis adferre cito, qui ab aliis remediis nequaquam juvantur, & qui jam suo fato erant penitus relictii.

Ufus hujus medicamenti semper amplior redditur.

Datur jam in infuso instar theæ.

Ingratus odor sub initio displicet, dum vero potatur aliquamdiu, assuescunt ita ægri, ut ament simile infusum.

Ma-

Matronæ nobiliores hanc herbam
jufculo incoquunt, idque dein cola-
tum sæpius per diem bibunt.

Sanguinis inde acrimoniam egre-
gie corrigi, vires augeri, omnes actio-
nes longe liberiores fieri, sentiunt.

Formosa quædam matrona acer-
rimo fluore albo a longo tempore ve-
xabatur, duritiem ingentem in ven-
tre habuit, & uteri vagina erat scir-
rhosis tuberculis ita obfita, ut citra
summum dolorem vix tenuis canula
potuerit introduci; etenim ex mi-
nimo attactu hi scirrhi vehementer do-
lebant.

Ufa est fimili jufculo, & bisterve
per diem fiebant lenes ex infuso cicu-
tæ injectiones in uteri vaginam.

Hoc

Hoc modo dolores brevi mitigati sunt, fluxit ex utero materies longe purior, nequaquam foetens; tandem tumores scirrhiq̄ue disparuerunt, fluxus integre filuit, & ex solo fimilis jusculi usu hæc matrona bene se habet.

Balneum ex cicuta infuso paratum, cui totum ægotantis corpus immergitur, multum subinde juvat, efficitque, ut extractum interne datum longe citius scirrhos, & tumores solvat, sanetque ulcera cancrofa, faniosa.

Celeberrimus HOFFMAN, Eisenfürtenfis professor, hoc super balneo dissertatiunculam scripsit; rationes ibi additæ pulchræ sunt, & experimentis conformes.

Mul-

Multas curationes extracto *cicutæ* ab eo tempore, quo libellum de *stramonio*, *hyosciamo*, & *aconito* edidi, peractas possem recensere, verum timeo, ne idem ferme dicendo, quod in prioribus libellis continetur, quibusdam tædio sim, & iis otium ad alia necessarium absumam.

Pauca tantum narro, quæ novam attentionem videntur promereri.

Nobilis matrona vehementi ira corripitur eo tempore, quo menses ipsi fluebant.

Fluxus sistebatur ilico, ortus est in lumbis dolor ingens, caput turbabatur vertigine, pectus fiebat anxium; pulsus deprehendebatur durus, plenus, quandoque intermittens.

In-

Injectum est ilico enema, applicata sunt pediluvia, tandem vena fuit secta in pede, sunt adhibita remedia, quæ febrem compescerent, sanguinem derivarent versus viam, qua menstruum ire solet.

Spatio binorum dierum febrilis in pulsu motus fere penitus subsedit, mansit tamen pulsus intermissio, mansit capitis vertigo, oculorum rubor, nec abiit ex lumbis dolor.

Suasi igitur, ut hæc matrona omni trihorio binas pillulas de cicutæ extracto sumeret (quælibet pillula habebat pondere grana tria)

Primo statim die magnum sentiebat levamen, & ex utero cœpit fluere lympa mucosa, tenui rubedine tincta.

Nox

Nox longe tranquillior fuit, & altero die menses prorumpabant debita copia, & citra omnem dolorem; unde evanuit vertigo, & oculorum rubor, facies, antea tensa, rediit ad naturalem mollitiem, nec pulsus amplius observabatur intermittens; & hæc matrona optime se habuit.

Fluxus mensium per integros sex dies durabat, dein sensim desit; & hoc etiam tempore quotidie eandem extracti cicutæ quantitatem ægra assumpsit.

Jussi dein, ut per quatuordecim adhuc dies continuaret idem remedium, ne ulla in viis uterinis obstructio fieret, quæ sequenti mense posset esse obstaculo.

De.

Debito tempore nunc huic matronæ redeunt menstrua, fluunt iusta quantitate, nec ullam ipsi molestiam creant.

Alii fœminæ menstruus fluxus subito impediabatur ex improvise terrore, anxia inde fiebat, & caput prehendebatur obtuso dolore, appetitus debebatur penitus; pulsus erat lentus, inæqualis, regio lumbaris erat rigida, ægra nequaquam poterat corpus flectere, aut in latus movere citra summum dolorem.

Huic quoque cicutæ extractum exhibui, & primo jam die tempore vespertino cœperunt menses comparere, & fœmina altero die optime se habuit.

F

Vir.

Virgo, viginti trium annorum, jam ultra sesquiannum molestissimum pruritus, & ardorem rodentem sensit sub axillis, in inguinibus, ad pudenda, & ad ani orificium.

Partes omnes scalpendo erant excoxiatae, & effluxit serum subflavum, foetens, acre.

Sumto cicutæ extracto intra mensis spatium integre curabatur hæc virgo, licet antea variis balneis, & diversis remediis internis, externisque esset usa sine ullo effectu.

Fœmina, 38 annorum, jam ultra decem annos fluore albo laboravit, ex ano quoque prodiit gluten tenax, foetidum, ibique sentiebatur durities vere scirrhusa, quæ per vices tantos dolores excitavit, ut ægra per plures

res

res dies debuerit lecto inhærere, nec potuerit dormire, quamvis opiata affumferit.

Materies effluens sensim acrior fuit reddita, & arrosit partes vicinas, & linteamina, quibus recipiebatur, inde friabilia fiebant.

Remedia, quæque tentata, incassum erant; ægra facta est tristis, melancholica, & cœpit contabescere.

Dum me accessit, præscripti ilico cicutæ extractum, quo solo remedio quatuor mensium spatio sanata fuit.

Vires nunc bonas habet, appetit, dormit; durities circa anum evanuit, nec amplius ibi mucus prodiit, nec ullus percipitur dolor, alvus quotidie sponte solvitur, quæ alias erat pertinaciter clausa, & non nisi pur-

purgante aut enemate poterat moveri.

Debito tempore nunc sanguis menstrualuus fluit, & fluxus albus filet penitus.

Fœmina, 28 annorum, a tertio suæ ætatis anno faciem totam, pectus, brachia, & manus fœdissimis ulceribus exefas habuit.

Varii medici suam artem in hac misera exercuerunt, bis ei usu mercurii saliva movebatur; applicata sunt balnea, fomenta, linimenta, emplastra, vixit quidem ægra, mole crevit, sed & crevit cum ea malum.

Quum nihil juvaret, jussi, ut ægra quotidie ter biberet uncias sex infusi cicutæ, & ut eodem infuso partes exulceratas ter quotidie lavaret, cæteroquin applicaret nihil.

Tres

Tres nunc menses sunt, & ægra jam fere curata est, brachia libere movet, ulcera omnia sunt consolidata, partes emaciatae replentur optima carne, vires sunt integræ.

Virum admodum senem ab annofo ulcere solo cicuta extracto liberavi; curatus habuit vires longe meliores, appetitum majorem, somnum tranquilliorum, visum alias debilem, jam ita acutum, ut sine perspicillo minima scripturae characteres possit distinguere, legere, formare.

Hic idem vir multis negotiis occupatus post dimidium annum sensit denuo vires corporis imminui, & debilitari visum. Ulcus vero mansit firma cicatrice clausum.

Denuo utebatur cicutaë extractio, & brevi iterum erant vires restaurataë, & rediit oculorum vigor.

Jam nunc per plures annos, dum opus habere sibi videtur, hic senex cicutam affumit, & hac ratione in magno suo senio visum, & vires conservat, est aptus ad munus suum, quod caput occupat, perfecte subeundum.

Jam in pluribus seniculis, ubi cæteroquin machina corporis bona erat, similem ex cicuta fructum observavi.

An suspicari liceret: cicutam vasa a muco & obstructione liberando, reddendoque circulum sanguinis liberiores posse disponere ad longævitate?

Si antecessores nostri ex mercurio, & antimonio &c. simile quid sperarunt,

runt, cur nobis vegetabilia, his longe præstantiora, nihil promitterent?

Macte agamus animo! sæpe momentum dat, quod plura sæcula negarunt.

Cicutam externe interneque exhibitam in oculorum vitiis multum juvare, plura nos convincunt exempla.

Leviores adducere casus minus convenit.

Sufficit: quod haud ita pridem religiosa virgo, cæca per plures annos, me suadente fuerit usa cicuta extracto, eoque integrum visum recuperaverit.

Clarissimus TAUBE, aulæ Britannicæ medicus, in epistola refert: virgini viginti annorum, per quatuor annos perfecta amaurosi affectæ, inte-

grum visum solo hoc remedio esse restitutum.

Celeb. FERD. LEBER, chirurgiæ in hac nostra Vniverfitate Professor, in iisdem oculorum affectibus ex cicutæ usu pulchros effectus observat.

Si unus ex centum cæcis, qui cæteroquin curari non possunt, curetur cicutâ, an non hoc nobis sit incitamento, ut in omni data occasione prudenti methodo hoc remedium adhibeamus?

Fœmina 40 aliquot annorum, jam a viginti annis languit, erat tota cachetica, dentes habebat vacillantes, gingivas exulceratas, halitum oris foetidum, & corpus totum emaciatum.

Cum per tantum tempus adhibita remedia nil juvarent, rogavit, darem cicutam. Spa-

Spatio quinque mensium ex usu hujus remedii convaluit, & jam apta est ad perficienda sua negotia.

Notandum autem, hanc foeminam ultra quatuor extracti cicutæ grana per diem assumere non potuisse; major enim dosis ingentem dolorem colicum ei excitabat, quatuor grana optime tulit.

Videmus iterum! quam diversæ sint idiosyncrasia, & quam prudenter ii agant, qui semper incipiunt a parva dosi.

Virgo, 20 aliquot annor., tussi vehementissima jam per plures menses defatigata fuit, anxietatem magnam in pectore sensit, & difficulter respiravit.

Varia, quæ tussim mitigarent, solverent sputum, & tollerent anxietatem, redderentque respirationem liberiores, tentata nullum profus levamen attulerunt.

Tandem larga copia admiscui his remediis cicutæ extractum, unde brevi tussiendo sputum tenacissimum, glutinosum, subfuscum rejecit, cœpit tranquillius dormire, & intra paucas septimanas convaluit.

Juvenis, 25 annor., a tenera sua ætate omni quinta vel sexta septimana diris convulsionibus & vera epilepsia corripiebatur.

Nullum erat remedium, quod in hoc juvene non fuisset tentatum, morbus tamen mitigatus nequaquam est; imo frequentiores facti sunt paroxysmi epile-

epileptici, supervenit summa melancholia, corporis vires diminutæ sunt, & erat tabes timenda.

Sesqui anno abhinc me accessit, meum petens consilium. Suasi cicutæ extractum.

Vires inde mox auctæ sunt, fomnus alias inquietus, fiebat tranquillus, reficiens; viguit appetitus, alvus modo naturali quotidie exonerabatur.

Intra sesqui anni spatium unica vice levem sensit epilepsiæ insultum.

Sani hominis instar nunc se habet, & bona gaudet memoria, hæc enim erat antea debilis, & turbata.

Clarissimus GRAFFENHUEBER, castrensiu medicorum primus, curam habuit, ut in nosocomiis castrensibus omni data occasione cicuta adhibere-

tur;

tur; rogavit medicos, & chirurgos-
adtenderent sedulo, qualem cicutæ ef-
fectum præstaret, referrentque bonus
sit curationis exitus, five malus.

Vidit innumeris fere exemplis, ci-
cutam ibi præstare optimos effectus,
& sæpissime integram adferre salutem,
ubi alia remedia, etiam maxime he-
roica, nil juvabant, ubi ægri jam e-
rant, a medicis relictæ, & habiti pro
invalidis.

Doctissimus HEISSIG, imperii exer-
citus medicus, hisce diebus idem mi-
hi de suis ægris circa cicutæ usum
vero candore affirmavit.

Dominus KOLLWEG, castrensis
medicus, præter bonos cicutæ effe-
ctus, quos in militum morbis obser-
vavit, propriam uxorem cum omnium
flu-

stupore ab ingenti mammae cancro liberavit.

Tentatis prius innumeris fere remediis, quæ potius malum pejus reddere.

Plura possem adferre testimonia, & possem innumeras curationes in omni fere morborum genere recensere; verum brevi imprimetur catalogus cicuta curatorum in nostro nosocomio, unde his supersedeo.

Id tantum adhuc dico: me omni anno aliquoties invisere eos ægros, quos cicuta curavi, ut viderem: an non post plures annos quidquam mutati in corpore sequeretur, quod cicuta posset adscribi.

Sed fateor vera fide, me nil unquam finistri invenisse; imo cicuta curati longe firmiore posthac gaudebant sanitate.

Idem

Idem æque verum est in infantibus ac adultis, nobiles æque ferunt cicutam, ac plebei.

Filiolus clarissimi professoris *Lebmacher*, cujus curationem, sola cicutam peractam, in alio opusculo retuli, optime valet.

Valet filiola Domini *Kollmann*, medici castrensis, quam proprius pater usu cicutæ ab ulcere vere cancroso, quod genam profunde lateque erodebat, perfecte sanavit.

Tentata prius remedia nullius erant efficaciam.

Hinc denuo concludo: cicutam esse remedium maxime innocuum, & ejus usu curari quandoque morbos, qui aliis remediis non cedunt, hinc esse reme-

medium, quo efficacius in sua classe
huc usque notum nullum est.

Nilominus & hic iterum fateor uti
in omnibus meis libellis, dari multos
ægros, qui nec ope cicutæ possunt
sanari.

An autem ideo ejus usus debet ne-
gligi, contemni, proscribi?

Virtutem *stramonii*, *hyosciami*, &
aconiti, quam in priori libello descri-
psi, multa experimenta, a variis me-
dicis instituta, jam confirmant.

Ex omnibus tamen meretur maxi-
mam laudem *aconitum*, hujus enim
efficacia summa est, nec ex ejus usu
unquam vidi malum effectum.

Hoc remedio sanati sunt ægri, qui
nullum penitus membrum movere po-
terant, qui per plures annos atrocis-
simis

finis doloribus rheumaticis sunt vexati, & continuo inhærebant lecto, hujus usu pessima ulcera, reliquis remediis non cedentia, sunt optime consolidata, dissipati sunt topi pertinacissimi. &c.

Super his nunc experimenta colligo, quæ fideli methodo conscripta dein recensebo.

Hac ratione cedit meus labor, quod unice opto, & conor, in ægrotantium salutem & emolumentum.





56 2229

vd 18

f

ULB Halle

3


003 727 262



56.

m.c.





DA
K
Mo
de
in
S
Sup
de
An
Diffe
H
Sol
2
50





ANTONII STÖRCK,

SAC. CAES. REG. APOST. MAJ. CONSILIARII AULICI,
ARCHIATRI, ET IN NOSOCOMIO CIVICO
PAZMARIANO PHYSICI,

LIBELLUS,

QUO DEMONSTRATUR:

**COLCHICI AUTUMNALIS
RADICEM**

NON SOLUM TUTO POSSE EXHIBERI HOMINIBUS, SED
ET EJUS USU INTERNO CURARI QUANDOQUE
MORBOS DIFFICILLIMOS, QUI ALIIS RE-
MEDIIS NON CEDUNT.

JUNGITUR SIMUL PLANTÆ EFFIGIES,
ÆRE EXCUSA.



VINDOBONÆ,
TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER,
CES. REG. MAJEST. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.
MDCCLXIII